LEXICON BOTANICUM COMPLECTENS, NOMINA, SYNONIMA, ...

Eugenio Michetti

Illustriss. ac Excellentiss. D.

MAPHAEO BARBERINO

Praenestinorum Principi.

INter reliqua quibus facultas medica praeclarissimae, & Nobilissimae artis sortita est Nomenclaturam, meo quidem iudicio (Excellentissime Princeps) Simplicium notitia non infimum locum occupare censendum; quorum sanè peritia Asclepiadae artis sectatores morborum vim obtundunt, aggressum prohibent, eorumdemque ingressum depopulantur: quippe Homo horum sedula co-

gnitione instructus, etsi per montes venetur, aut quid operetur in agro, vel fortè abditarum regionum extet incola, suis tamen indigentijs vbiq; adinuenit auxilia, vndequaque intuetur medicamina: quocircà in nostro hoc Archihospitali nascētis Deiparæ candorem pro viribus celebraturus, publicæ tùm curiositati, tum vel maximè vtilitati consulens præter Scæletorum, ac membrorum humani corporis, variorumque expositionem, summoperè ad rem medicam spectantium; id vnicum profectò decreui, vt virentes herbæ, quæ tempestatis iniuria nobis neutiquam sunt subreptæ, in publicum euocarentur, ac eorum Nomina, Synonima, qualitates, & dotes breuiori calamo appensis schedulis indicarentur; Hinc animo voluitans quid tibi, cui

cui quid habeo, iure debeo, offerrem, horum Simplicium compendiolum Excellentiæ Tuæ dicundum duxi; vt in adeò vili munuſculo meus ergà te Animus (maiora meditans) innoteſceret. Hilari ergò qua Soles fronte ſub Tuę protectionis munimine leue hoc donum excipe, ac tuere. Vale pridie Kalendas Septembris. 1675.

E. T.

Obſequentiſſimus Subditus

Eugenius Michettus.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Mag. Sac. Palatij Apostolici.

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Raimundus Capisucchius Sac. Palatij Apostolici Magister Ord. Præd.

AMICO LECTORI.

Lexicon hoc Botanicum, etsi omni ex parte tibi mancum occurrat, (Amice Lector) ne dentes tuos cinicos, linguamque è deleteriarum herbarum Campo delibatam experiatur etiam atque etiam rogo; non enim ad impossibilia tenetur, qui à factibilium meta haud effugijt; neque temeritatis nota inficiendus, qui quæ habet elargitur; æstiuus namque ardor autumnales tantum mihi condonat stirpes. Igitur quas potui è Romanæ Sapientiæ Viridario excerpere virentes, (sedulitate, ac vigilantia Publicorum osten-

tensorum Patris scilicèt Io: Philippi Vignolæ Romani, & fratris Cherubini Colonelli à Setia Ord. Min. S. Francisci strictioris obseruantiæ, illic asseruatæ) easdem tibi visendas expono, earumdemque Nomenclaturas, qualitates, & dotes in vnum quasi indicem collecta, hic alphabetico ordine perlegere ne dedigneris; quod si id (vt spero) succedat, hoc mihi certissimum suadeo, Animum saltem tuum ab otij tedio deflexurum. Vale diu.

LE-

LEXICON BOTANICVM.

A. A.

ABies alba, siue fœmina, exiccat, hinc Claud. inquit:

Apta fretis Abies bellis accommoda Cornus,

Abrotanum mas calidum, & siccum Antidotum estit, menses, & lotium pellit, concoquit, & dolores sedat.

Abrotanum fœm. præstat singula, quæ, & mas.

Absinthium ponticum.

Comune officinis.

Marinum.

Singula calida, & sicca roborant, bilem euacuant, crapulas corrigunt, sed omnibus ponticum præstantius.

Acacia Indica, Fernesiana Frigida, & sicca, serpentinis morsibus opitulatur, menses, lotium, aluumque sistit.

Acanthium, (vulgo Spina bianca) calidum, cuius haustæ radices opistothonos prosunt.

Acanthus (vulgo Branca orsina) calidus, & humidus, luxatis artubus subuenit, tabificos restituit, ambustis medetur, ac aluũ sistit.

Acanthus aculeatus C. Bauh. Syl. Dod.

Acarna, seu Carlina Syluestris, vulgo Cameleon biãco, calidam possidet facultatẽ.

Acarna flore luteo patulo Bauh. Carlina Syl: minor Cluſ.

Acer montanum candidum Bauh.

Achillea ſtipticam optinet facultatem, vnde hæmorrhagias, tum ventris, tum reliquarum partium ſiſtit.

Aconitum Pardalianhe omni genere venoſum, eius tamen contactu ſcorpius illico iacet ſemimortuus.

Acorus verus, officinis Calamus aromaticus, calefacit, & ſiccat, roborat ſimul, & aperit.

Acorus adulterinus ſiccat, modiceque calefacit, cerebrum totumque neruoſum genus munit.

Adianthum, vulgo Capil-Venere, frigidum, & mediocriter ſiccum, alui fluxum ſiſtit, vrinas cit, ſanguinem depurat, menſtrua, & ſecundinas prouocat.

Adonis hortenſis flo: minore atro rubente Bauh. Anemon: agreſtis Trag.

Allium. Aegyptiacum, calidum, & ſiccum in quarto, multa in frigidis affectibus promittit, vnde Theriaca dicitur Ruſticana.

Alliaria excalefacit & ſiccat ordine ſecũdo intenſo, ac ſingulari vi, & proprietate putredini aduerſatur, abſtergit, & mundificat.

Agnus Caſtus, ſeu Vitex, ſic nuncupatus, quod in theſmophorijs matronæ caſtitatem vouentes, eo ad ſtrata vterentur. Dominicus Cab.

Ageratum, ſeu herba Iulia, vulgo Eupatorio di Meſue, calefacit, digerit, aperit, roborat, atque inflammationes reſoluit.

Agnus Caſtus flo: albo.

Age-

Ageratum Mesues flore albo Hist. Lugd.

Aiuga, seu Iua Artetica, vulgo Camepitio, calida, & sicca, cephalicas possidet dotes, tormina sedat, arquato, & hydropesia detentis mirificè opitulatur.

Alcea vulgaris maior Emplasticam retinet facultatem.

Alchimilla, vulgo stellaria, seu Piede di Leone. Exiccat, vtiliter vulneratis, atque ruptis exhibetur.

Alypum Matthioli Tithymalis consimile; eius semen atram bilem deijcit, intestina tamen exulcerat.

Alisma abstergit, Leporis marini damna imminuit, sic & opij narcosim infringit.

Alissum Exiccat mediocriter, singultum sistit, Hydrophobiæ medetur.

Aloes Calida & sicca, abstergit, digerit, & stomachum roborat.

Aloes Americana Serpentinos morsus, galicamque luem adiuuat.

Alsine, vulgo Centone, Frigida, & humida, febrilem Phlogrosim minuit, tabificis vtiliter præbetur.

Alsine Veronicæ folijs, flosculis pediculis oblongis insidentibus, Bauh folijs trixaginis Lob.

Alsine affinis, Androsace dicta maior Bauh. Androsace altera Matth.

Althea, vulgo Malua visco, calida, & sicca, hinc emollit, digerit, omnesque tumores suppurat.

Althea congener, siue Rosa Chinensis.

Amaracus maior, vulgo Maiorana, calefacit, siccat, ac vna roborat, quo circa hydropicis, & pectoris vitijs opitulatur.

Amaracus tenui fol, vulgo Persa gentile, Singula præstat, quæ maior.

Amaranthus maximus, vulgo Fior d' Amore, Refrigerat, & siccat, ventris, vessicæ, & vteri excretiones compescit.

Amaranthus maior, vulgo Fior di velluto, Eadem possidet, ac primus.

Amaranthus tricolor, seu Simphonia, oculis perbellam oblectationem parit.

Amaranthus spicatus purpureus.

Amaranthus flo. luteo spicatus.

Ambrosia Astringit, repellit vna, & mitigat phlegmones.

Anagallis, seu morsus Gallinæ, anodinam præbet facultatem, purgat itidem, discutit, & oculorum nubes aufert.

Anagallis aquatica maior folio oblongo Bauh. Berula maior Tab.

Androsænum calefacit, & siccat, eius tamen semen purgat.

Anethum calefacit, dolores mitigat, lac reuocat, & singultum imminuit.

Anethum annuc: Pernambuci Bauh.

Apocinum Syriacum, vel Aegyptiacum Dom. Cab. seu Beildezar Alexandrinum Alpini, nullam profecto ad humana corpora adiuuanda possidet facultatem scribit Diosc. quatrupedibus tamen exitiosum valde est.

Apocinum latifolium amplexi caulæ, an scamonij genus aliquot sit, vt nonnullis placuit, quærit Bauh.

Asphodelus, vulgo Cento capi, calidus & siccus, oculis præcipuè & testibus confert, lotium, & menstrua ducit.

Asphodelus, seu hastula regia, valet ad pa-

pascentia vlcera, prodestque scolopondriæ veneno.

Asphodellus flore liliaceo singula præstat, quæ antecedentes.

Arundo indica fol. striato, seu laconica peregrina ex Theoph. folia admodum frigida sunt & sicca.

Arundo indica latifolia flore luteo punctato.

Arundo indica latifolia flore rubro vlcera constringit, senibus leuamen præbet, ac fluxiones suspendit.

Angelica calefacit, & Siccat dentium dolores emulcet, digerit, aperit, & grassanti pesti aduersatur.

Anguria, vulgo Cocomero, sitim sedat, humores temperat, vrinam cit, ac venerem cohibet.

Annonis, vulgo restaboue, calidam incisiuam & aperitiuam possidet virtutem, renum lapides frãgit, Iecoris obstructiones reserat.

Antirrhinum oculos abstergit.

Antirrhinum maius alterum folio longiore Bauh. vulgo Caput canis, & caput vituli Adu. & Lob.

Idem flore albo.

Antora aduersus aconiti venenum, contraq. Nappellum summopere valet.

Apparine exiccat, valet aduersus, falangia, & serpentes.

Appium hortense, seu petroselinum calefacit, discutit, vterum, renes, omniaq. viscera deostruit.

Appium hortense latifolium Maximum Bauh. Parisiense.

Ap-

Appium palustre, vulgo Sellari, calidum, eadem præstat quæ primum.

Araneium, vulgo Merangoli, eius cortex calida est, succus autem semifrigidus, ventriculum roborat, ac flatus pellit.

Arbutus, vulgo Cerasa marina, astringit, roborat, eius autem succus Stomaco nocet.

Arum calidum, & siccum contagium arcet, vulnera sanat, pectorisque affectus profligat.

Arum Maximum Aegiptiacum calefacit, & siccat eius succus parasitos à conuiujis repellit, asmaticos iuuat.

Artemisia calefacit, dolores sedat, sed ventriculi præcipue, & vteri affectus curat.

Asarum, seu Baccara, Calefacit, & siccat, conuulsis prodest, vrinam prouocat, Hydropicis, Ischiadicis, difficileque spirantibus opitulatur.

Ascirum, Esiccat, eius semen bilem educit, folia tamen ambustis, & vlceratis prodesse traditur.

Asparagus, Temperate calidus, renibus, hæpatique per vtilis.

Asplenum, seu scolopendrium, vulgo Cetrahc, Calidum & siccum vesicæ Lapillos imminuit, Gonorrheæ confert, ac Lienem absumit.

Asperula Odorata, seu Hæpatica stellata, Vitalia excilerat, Iecori prodest, ac contagia aufert.

Alter Atticus, Mistæ est qualitatis, sed magis frigidus, ad rabidi canis morsum laudatur; eiusque suffumigium serpentes fugare fertur.

Attri-

Atriplex Frigida & Humida, eius semen vomitum prouocat, deostruit, ac vna simul arquatum curat.

Atriplex, dicta Pes anserinus, vulgo piede d'Oca, ex Dod. Plane lethalis, & Pestifera ex Dom. Cab.

Atriplex mori fructu altera, siue spinacia fragifera. Aldini.

Atriplex Marina digerit, abstergit, incidit, ventriculum humentem siccat, ac hydropicos sanat.

Atriplex Rosa latifol.

Auricula Vrsi, seu Sanicula exiccat, refrigerat, & glutinat, sanguinisque eruptionem cohibet.

Auricula Muris, seu Mysotis, eius flores cardialgiæ prosunt.

B. B.

BAccharis calefacit, & aperit, vnde partus, & secondinas eijcit, sacro igni, & capitis dolori medetur.

Balaustrium Orientale, seu Cytinus, frigidum, & siccum, quam maximè astringit, vnde vomitum, Diarrheas, Gonorrehæas, immoderata lochia mira vi sistit.

Balsamina, seu momordica, exiccat ruptis opitulatur, vlcera tum pectoris, tum aliarum partium consolidat.

Balsamina Fœmina, seu maior Mammarū vlceribus cōfert, ac omnia quę prior, pręstat.

Barbula Hirci, seu saxi frica, calida, & humida, vessicæ, hæpatis, & renum vitijs succurrit.

Ber-

Berberus, Refrigerat, atq; roborat, astringit, ac febribus confert.

Betonica coronaria latifolia. (Vulgo falso nuncupata Garofali à mazzetti.) Quascumque maculas è pannis lineis eius succus aufert.

Betonica officinarum Calida, & sicca, inter Cephalica annumeratur, menstrua ducit, ac capitis vlceribus satis prodest.

Betonica Aquatica, minus operose ea præstat, quæ vulgaris.

Beta rubra, calidiuscula censetur, digerit, abstergit, ac errinorum numero adscribitur.

Bistorta (vulgo Serpētina) frigida, & sicca, eius puluis vulnerum hæmorrhagias cohibet, prodest ad cuncta venena.

Blattaria flore albo. Calefacit & siccat.

Blattaria folio, Aureo, Vlceribus confert, tingitque Capillos. Cast. Dur.

Blitum rub. maius Frigidum est, vnde stomacho inimicum.

Blitum rub. minus, Vulgo Bietone, humectat, refrigerat, menses reuocat, ac ventriculo hostilitatem minatur.

Blitum album singula promittit, quæ rubrum.

Borago Humidat, parumper calida cor exilerat, ac extuationes imminuit.

Buxus exiccat, & roborat, Lue Gallicæ confert, & alui fluxus sistit.

Botris calefacit, & aperit, vestibus commiscetur, quoniam tineas, & Blattros strenue depopulatur.

Botris ambrosioides vulgaris Bauh.

Brassica Marina, vulgo soldanella, modice

cali-

calida est Hydropicis confert rhabarbaro admixta, admodum tamen ventriculum offendit,

Bugalossum calefacit,& humectat abscessibus, & febribus confert, vitalia lætificat, insaniæque medetur.

Bugalossum latifolium semper virens Lob. & Bauh.

Buphthalmum, vulgo occhio di Boue, Calidum, Muscas, & Apes necat, Anodina, & discussiua præpollet Vi, Arquato infectos restituit.

Bursa Pastoris,(Vulgo Herba Cancri)frigida, & sicca, Phlegmones imminuit, ac Sacro igni opitulatur.

C. C.

CAlamintha montana, vulgo Mentuccia, calefacit, siccat, roborat, vnde tormina compescit,& menstrua irritat.

Caryophillata calida, & sicca roborat, dyssentericis, ac sanguinem spuentibus medetur.

Caryophillata Montana, siccat, roborat, aperit.

Caryophillus Indicus, calefacit, abstergit pulchrior tamen, quam salubrior extit.

Caryophillata Montana flore Magno Luteo, si vere vino imponatur, id odore, & sapore commendat, atque ad varia efficacissimum reddit,

Cala-

Calaminta Syluestris, Serpentes fugat, Elephantiamque curat.

Caltha vulgo (fior d'ogni mese) calida simul, & sicca Visum Acuit, dentium dolores Mitigat, pestique medetur.

Chamæmelum calefacit, siccat, & discutit; eius aqua valde vtero amica est, fitque ex eius floribus, & Succo ad hydropem, & vtrumque Icterum valde efficax syruppus.

Chamæmelum Marinum, calidum pariter atque siccum.

Chamæmelum *fætidum*, vulgo cotula *fætida*, eadem promittit ac primum.

Capparis calidus, & siccus aperit, & roborat, sed præcipue lienem.

Cardiaca calefacit, siccat, & aperit Capiti, & cordi confert.

Carduus Mariæ, seu Asininus, calefacit, & mundat, lotium, & Menses prouocat, ac Vbera lacte inebriat.

Carduus Benedictus, siue Sanctus, Vlceribus, ac vulneribus confert, Vermes enecat, Contagijsque resistit.

Carum calefacit, & siccat lotium cit, dolores sedat, ac ventriculo familiare.

Cartamus legitimus, Cnicus, vulgo Zaffarano saluatico, calida præualet qualitate, vomitum incitat, àluum laxat, lentos humores incidendo, hinc doloribus colicis felici cum successu exhibetur.

Caucalis calidus, & siccus aperit stomaco, cordique est familiaris, menses, & vrinam cit.

Centaurium maius, æterogeneum est, perutile vulneribus, laterumque doloribus, & fluenti sanguini confert.

Cepæa

Cepæa humida, vrinę ſtillicidio opem fert, ac veſſicæ ſcabiei medetur.

Cerinthe apibus ſumme amica; quo fit, vt ceræ vocabulo ſit inſignita.

Cerefolium calefacit, & ſiccat, oleribus immixtum guſtum adauget.

Camedrios, ſeu Trixago calefacit, & ſiccat, Menſtrua, Vrinam, & partum accelerat, exhibetur ictericis, & contagioſis.

Chamelea calidiſſima cenſetur, bilem, & pituitam ſtimulat, oculiſque medetur.

Chamæleon niger, exiccat, & calefacit, deleteria inſignitur qualitate, ſcabiem ſanat, & dentum cruciatus ſedat.

Chelidonium, ſeu Aquilina, modice calida eſt, hydropicos iuuat, ac dolores ſedat, cunctaque venena depopulatur.

Chelidonium Maius calidum, & ſiccum dentibus, atque oculis opitulatur, ac à bile decoloratos in priſtinum reducit.

Cocchum infectorium (vulgo grana di tintori) aſtringit, ſiccat, oculorum ſuffuſioni, & ſciſſis Neruis prodeſt.

Corona ſolis, (vulgo herba Maxima, vulgarius gira Sole;) collo appenſa radix apoplexiam curat.

Cryſanthemum hortenſe calefacit, & ſiccat, arquatum ſanat, lapideſque frangit.

Chryſanthemum creticum, eo quod à creta fuit traſmiſſum, quo in loco à ruſticis editur.

Chriſtophoriana, ſeu Aconitum bacciferum, venenoſa planta eſt, qua aſſumpta ante omnia procurandus eſt vomitus, deinde alexifarmacis eius ſyntomatibus occurendum.

Cya-

Cyanus Ma. (vulgo battisecola) refrigerat, contra pestiferos affectus, ac pariter recentia vulnera semen valere fertur.

Cyanus Min, vulgo battisocera, refrigerat, & ad Scorpionis, & Falangium morsus valet.

Cyanus flore albò odorifero contusis, & sanguinem spuentibus vtiliter eius aqua, vna cum plantaginis exhibetur.

Cyanus flo. cęruleo odorifero vtilitereius suffitus præfocationibus vterinis adhibetur.

Cyclaminus (vulgo pan porcino) hydropicis, Surdis, ac lienosis confert, dentiumque dolores compescit.

Cichorium vsuale domesticum refrigerat, Iecoris, totiusque corporis Phlogrosi medetur, astringit ventriculum, cor, renes, & vessicam roborat.

Cichorium Bizanthęũ frigidũ, & siccum, eius radices ad strumas plurimum cõferunt.

Cichoriũ Syluestrecoincidit, cum vsuali.

Cichorea Verrucaria, eo quod Verrucas aufert, nuncupata.

Cicuta immodicè frigida, hinc frigidis venenis adscribitur, cui alexifarmaea vi aduersatur Gentiana.

Cymbalaria frigida, & humida, arquatum, fluxumque mulierum album curat.

Cynocrambe, vulgo Mercorella bastarda, modicè calefacit, & siccat, oleribus immiscetur, ac blande aquam, & pituitam euacuat.

Cynoglossa vulgaris, seu lingua Canina, refrigerat, & siccat, hæmorrhoidum mulcet dolores, ac vulnera prohibet inflammari.

Cynoglossa Maior, radix eius sicca in puluerem redacta, atque vino rubro hau-

ſta dyſſenteriam ſanat, ſed Gonorrheæ præſertim vtilis. Cab.

Cyperus calefacit, & ſiccat lapidem deijcit, valet ad oris vlcera, Hydropiciſq; medetur.

Cypariſſus frigidus, & ſiccus, veſſicæ, & ventriculo confert, flatus diſcutit, ac ſiſtit hæmorrhagias.

Cirſium Anodinam quodammodo poſſidet facultatem, vnde varicum dolores compeſcit.

Ciſtus, Exiccat hinc vlceribus, & ambuſtis confert, diſſentericis ac vulneratis prodeſt.

Clematitis prima, ſeu Prouinca. Frigida & ſicca, roborat, narium hæmorrhagijs ac dyſſenterijs ſuccurrit.

Clematitis flo. albo, ſeu vit. alba ſiſtit menſes, & vulnera coniungit.

Clematitis, ſiue Flamula, flore albo eadem prorſus promittit.

Cucumis Syl. ſeu Aſininus, Calidus & ſiccus, purgat aquoſos humores, ac dentium dolores mitigat.

Colocynthis, calefacit, & ſiccat in tertio, Dentes confirmat, cerebrum, totumque neruoſum genus à pituita vindicat.

Colocynthis oblonga Bauh. grandis oblonga, Cucurbita aſpero folia amara grandis viridis Io. Baul.

Colocynthis pomiformis cortice maculato, ſeù Pepo amarus; Bauh.

Colutea veſicaria, ſiccat; impinguat tamen oues; hominibus vero non ſine faſtidio vomitum prouocat.

Colutela ſcorpioides eadem præſtat.

Con-

Condrilla prima, vulgo Terracrepulo, refrigerat, gumma autem ex ipsa resudans menstrua prouocat.

Condrilla altera, digerit,& parum à prima deflectit.

Coniza maior, vulgo Policaria, calida & sicca pulices eneccare, illitamque vulneribus prodesse fertur.

Coniza minor, Dyssentericis præsertim opitulatur.

Coniza tertia eadem pollet virtute.

Consolida maior, seù Symphitum maius. Calefacit & siccat, & vulnera ad cicatricem perducit.

Consolida minor, linguæ, fauciumque vlceribus,& inflammationibus præbet auxilium.

Consolida media, vulgo Herba laurentina, Cancris medetur,grumosumque sanguinem dissoluit.

Consolida Regalis, vulgo Speron di Caualiere,Oculorum repellit inflammationes.

Conuoluulus cæruleus anguloso hederaceo folio Bauh. Peregrinus seu flos noctis Gesne.

Cotinus, vulgo sommacco siccat, vlceribus, præcipuè oris opitulatur.

Coronapus, seù Herba stella, Exiccat aluum sistit, & ventriculo familiaris.

Crithmum, vulgo finocchio marino, non leuiter calefacit, abstergit, lotium, & menstrua stimulat.

Crithmum quartum, siccat, aperit, atq; digerit.

Crithmum Crisanthemum reddit faciei gratum colorem.

Cri-

Crithmum Maritimum ſpinoſum, vulgo paſtinaca ſpinoſa, ad ſingula cenſetur valere ad quæ recenſita.

Crocus, vulgo Zaffarano, calefacit, & ſiccat, roborat, ſomnum conciliat, exhilarat, crapulæque medetur.

D. D.

Diapenſia, ſeu quinque folium mas calefacit, & ſiccat, roborat, vnde vulnera, & vlcera aglutinat.

Dipſacus, vulgo labro di venere, ſeù cardo da panni, ſiccat, & abſtergit; vermes in eius capitibus adinuenti quartanam collo appenſi ſanare creduntur.

Digitalis flore minore, calida, & ſicca menſes mouet, vulnera ſanat, catharticam vim habet, & ferè omnia poteſt quæ Gentiana; Bauh.

Dictamum Creticum, calefacit, roborat, venenis obſtat, & menſtrua pellit.

Dictamus Cret. min. Spurius, ſeu Pſeudodictamus Cydoniæ Bauh.

Pſeudodictamum calefacit, extrahit partus, & lienem imminuit.

Dictamum album, ſeu fraxinella, debilius operatur, quæ reliqua.

Dracunculus hortenſis, calefacit, & ſiccat, repellit graſſantem peſtem.

Dracunculus minor, ſeu Serpentaria minor, aſmaticis anheloſis omnibuſque pectoris morbo affectis ſalutem promittit.

Draba, Barbari Naſturtium orientale, calida, & ſicca curat pectoris morbos.

Ebo-

E. E.

EBolus (vulgo Nebbio) calidus, & ſiccus, aquoſos humores euacuat; exterius obſtructiones imminuit.

Echium viperinum calidum, Vino epotum, non tantum à ſerpentibus demorſis opitulatur, ſed eos morderi non patitur. Dioſc.

Elæagnos Aromaticæ, calidæ, & ſiccæ eſt facultatis ordine 3.

Elleborum nigrum flore albo calidum, purgat, & optimum cenſetur, quòd ex huiuſmodi petitur, Terris, vt ex Anticyra.

Elleborum nigrum, vulgare flore viridi, calidum Hydropicis, Inſanis, atque Podagricis medetur.

Elleborum album, vomitum cit, cerebrũ per nares expurgat, ac ſcabiem tollit.

Elleborus albus Matth.

Elleborum alterum falſum, collo ſuſpenſum venenis reſiſtit.

Equiſetum, ſeu cauda equina, exiccat, ſanguinis fluxum cohibet, aluum ſiſtit, vrinam cit, Tuſſi, & Iſchiadi medetur.

Erica, calida, & ſicca, mel tamen, quod ex eius floribus exugunt Apes, non eſſe admodum elegans fertur.

Eringium temperate calefacit, hæpatis, lienis, & renum affectus depopulatur.

Eringium marinum menſtrua, & lotium prouocat.

Aethiopis Pulmonibus, & Tracheæ familiaris.

Eu-

Eupatorium Diosco. seu Agrimonia, calefacit, & incidit, aduersatur Iecoris vitijs, ac obstructiones referat.

Eupatorium Canepini calefacit, siccat, & vlcera sanat.

F. F.

FErula calida, Asinis tantùm è iumentorum genere præbet alimentum, reliquis namque venenum est.

Filipendula calida, & sicca, lotium, secundinas, & calculos eijcit.

Flos Tintorius, (vulgo Scopa) calefacit, & siccat, fluxibus, tussique auxiliatur.

Fraxinus calefacit, & siccat, humiditates minuit, scabiem, lepramque curat.

Fumaria seu fumus terræ, calida, ac incisiua ex splenicis herbis censetur, pesti, atq; veneno resistit.

G. G.

GAliopsis (vulgo ortica morta) discutit, parotidas, & strumas curat.

Galiopsis maxima flore magno rubro, & purpureo, in tumoribus, ac externis vlceribus laudatur.

Gallium calidum, & siccum, hæmorrhagias sistit.

Geranium, vulgo rostro di cicogna, calidiusculum testium tumores præcipuè curat.

Galega, seu Ruta capraria, vulgo Lauanese, lumbricos enecat, eius aqua vtiliter in malignis febribus exhibetur.

Galega fl. albo. Gesn.

Gnaphalium, vulgo Filogo, exiccat, & astringit; vnde prodest summopere enterocelis.

Gramen olostrium frigidum, & siccum, intestinorum vermes enecat.

Gramen striatum eius decoctum tormina compescit.

Gramen Mannæ, eius fotu indurata vbera emolliuntur.

Gramen Marittimum præstat, eadem:

Gratia Dei, seu gratiola, vulgo Stanca cauallo, calefacit, immoderatè purgat, bilem & pituitam deijciendo.

H. H.

HEdera Terrestris abstergit, reserat, ac interna vulnera consolidat.

Hedera Indica, seu vitis virginiana quinque fol.

Hedera Indica trifolia, seu vitis indica trifol.

Helenium, seu Enula Campana, calefacit, & siccat pectoris affectus corrigit, dentes confirmat, eius radix condita stomatic ha estit.

He-

Helychrisum, siccat, & incidit, vestimenta odore profundit.

Helitropium maius calidum, aluum à bile & pituita liberat; verrucas, & tineas enecat; vnde quoque verrucaria dicitur.

Helitropium minus eadem promittit.

Hemerocallis, (vulgo giglio saluatico) frigidus, & siccus, ambustis, & inflammatis prodest.

Hemionitis, seu splenium, calefacit, & astringit, ac splenem absumit.

Hęmorrhoidalis, hęmorrhoides sanare nominis etymologia testatur.

Herba gattaria calida, & sicca pollet qualitate, vnde morbos omnes frigidos curare valet.

Herba magnæ admirationis flore luteo (vulgo marauiglia di Spagna) valida discutiendi facultate præditam esse creditur.

Herba Iudaica, seu virga aurea amaritudinem quandam præsefert, alui fluxum compescit, & vlcera cicatrizzat.

Horminium calidum, & siccum venerem stimulat, ac viscidos incidit humores in ventriculo stagnantes.

Hieracium frigidum, & modicè siccum, oculorum morbis proficit, venena arcet præcipuè scorpionis.

Hyosciamus niger (vulgo faua porcina) frigidissimus, quocirca deleteria insignitur qualitate, somnum tamen conciliat, dentiumque dolores mitigat.

Hyosciamus albus minus frigidus, hinc vtiliter inflammatis exhibetur, mensium fluxum imminuit, ac biliosas sistit diarrhæas.

Hyoſciamus albus minor reliquis tum virtute, tum qualitate eſt inferior.

Hypericum, vulgo perforata, calefacit, & ſiccat, ex eius floribus oleum conficitur, cui peculiarem ad vulnera aglutinanda vſum conſignatum habemus.

Hippogloſſum, ſeu bis lingua, calidum & ſiccum, partum mira vi facilitat, ac ſanguinis profluiuum ſiſtit.

Hyppolapatum, officinis Rhabarbarum Monacorum; vulgo rombice Mag. frigidum, & ſiccum, abſtergit, aperit, renum lapillos expellit, ac omnes cutaneos affectus propellit.

Hyppolapatum Syluestre ſingula operatur quæ primum.

Hyſſopum calefacit, & ſiccat, aperit, emollit, pectoris vitijs medetur, aluum purgat, & renes adiuuat.

Hyucca Canedana, huius ſuccum crudum peſſimum venenum vocat Monardes.

I. I.

IAcea, ſeu flos Trinitatis, vulgo Minuti penſieri, calida, & ſicca cutis aſperitates & ſcabiem tollit, ſic diſpnæicis medetur & ruptis.

Iberis, ſeu Lepitium calefacit, reſerat; eius radix trita Iſchiadicis præſtantiſſimum eſt auxilium, lienoſis itidem prodeſt; exiſtimaturque collo appenſa dentium dolores compeſcere. Dom. Cab.

Iaſ-

Iaſminium Mexicanum, radix ad drachmas duas aquam mirificè ducit.

Iaſminium Arabicum mali aurantij fol. fl. rubello. Lob.

Iaſminum vulgare fl. luteo, ſeu luteum. Lob. Bauh.

Iaſminum Indicum fl. luteo odorato.

Imperatoria calefacit, & ſiccat, coctiones adiuuat, mulieribus fertilitatem promittit, ac ventri imperat blande.

Iris (vulgo giglio azzurro) calefacit & ſiccat, ſomnum conciliat, menſtrua irritat, humores lentos digerit, atque incidit.

Iris hortenſis flore albo pituitam craſſam bili admixtam purgat.

Irio, ſeu eryſimum, vulgo Irione, calefacit, ac alui fluxum ſedat.

L. L.

LAcrimæ Iob, ad calculos renum & veſſicæ expellendos decoctum valere ſcribit Lobel.

Larix exiccat, eius reſina renes abſtergit, articulos, & neruos roborat, ac vna ſcabiem curat.

Lathiris, ſeu Cataputia min. calida, & humida, aquam, pituitam, & bilem mira vi educit, vnde hydropicis medetur.

Laureola ma. ſeu Daphnoides, calida, & ſicca, baccæ purgant; eius tamen aqua faciem leuigat.

Laurus Tinus, folia, & fructus exiccant,

& calefaciunt; vnde ad omnes frigidos affectus laudatur eius vsus, præsertim ventriculi, & intestinorum.

Laurus Alexandrinus, hodie ignotam esse plantam existimant pleriq.

Laurus Lamericanus, hic Romæ in horto tantum Sapientiæ florescit; ex cuius folijs syrup. conficitur satis ad vocis raucedinem proficuus ex Pet. Cast.

Lens palustris, vulgo lenticularia; frigida & humida, pestiferis febribus opitulatur.

Lentiscus temperate calefacit, & siccat vrinam prouocat, humiditates imminuit, ac vlceribus depascentibus medetur.

Leucoium, vulgo viola gialla, menstrua ducit, vtero, & renibus familiare.

Lichen, seplasiarijs hepatica, refrigerat, siccat, & abstergit, arquatum sanat, hæpatisque morbis propensione opitulatur.

Lignum sanctum, seu lignum guaiacanum, calidum & siccum, hydropicos, & asthmaticos iuuat, sudorem prouocat, hinc epilepsiæ, & morbo gallico opem fert.

Lilium conuallium floribus calidis donatur, cerebrum & præcordia viuificat, aphoniacis opitulatur.

Limonium exiccat & abstringit ad omnes sanguinis eruptiones probatur.

Linaria Cærulea, frigida, & humida, iecur, & lienem roborat, hydropicis auxiliatur.

Linaria pannonica, vrinam deijciendi facultate insignitur.

Linaria, seù beluedere, hác ipsam scopariam vocant aliqui, & studiosorum herbam. Kraut.

Li-

Liquiritia, seu dulcis radix, humectat, & expectorat, anacatarsim iuuat, & renes expurgat.

Lithospermum Maius, seu millium Solis, non leue præbet extrudendis calculis auxilium.

Lithospermum Minus, eius semen valet ad facilitandum partum.

Lepidium Plinij, & Pauli, caldissimæ est naturæ vnde ad Sinapismos eius vsus proficuus.

Ligustrum Aegyptium folia, flores & acini adstrictoriam vim habent.

Ligustrum, (vulgo oliuella) refrigerat, & siccat, oris vlceribus summopere confert.

Lotus Arbor (vulgo Bogaloro) exiccat, ventriculo valde amicus.

Lotus Satiua, seu trifolium odoratum, temperate calida, venenis, & morbibus pariter atris opitulatur.

Lunaria Græca calefacit, & abstergit.

Lupulus. Calefacit modiceque siccat, corrigit atram bilem, ventriculi, & Iecoris leuat ardorem.

Lychnis (vulgo lichnide coronaria) calefacit, & siccat, semen bilem ducit, ac aduersus Scorpionis morsus præstare traditur.

Lychnis Syluestris, Scorpius iuxta, semen eius positus illico torpescit.

Lysimachia Siliquosa exiccat, & astringit, pesti aduersatur, Capillos decidentes firmat, ac Menstrua sistit.

Lysimachia purpurea cum Epota, cum per clysteres infusa dyssenterias, sanguinis reiectiones, & menses compescit.

M. M.

MAlua Syluestris humectat, ad omnes tumores emolliendos laudatur; ei tamen peculiare est, vt vesparum, & apurum ictibus imposita dolores sedet.

Malua Crispa Arborea, Aluum emollit.

Mandragora frigida in tertio somnum inducit, partus, & Menstrua pellit.

Marum Cortusi calefacit, digerit, & siccat; semen euacuat.

Maracot Indicum, vulgo flos passionis; Limæ Vrbis incolas ex eius ramificationibus amenas pergulas construere fertur, sub quibus vmbra, & aura fruentes cœnant; apud nos ad altitudinem 5. vel 6. bracchior. ascendit.

Marrubium album (vulgo prassio) calidũ, & siccum, vlcera abstergit, tussi, & venenis medetur.

Marrubium nigrum, seu spurium, præstat contra canis morsus.

Marrubium, seu Ballotte minor Matth.

Melisophilum seu Cedronella vlceribus prodest, vteramque expurgat.

Menta calida, & sicca, roborat vbera turgentia iminuit, singultum sedat, ac gratum est condimentum.

Menta Græca calida, vterinis affectibus medetur, vermes enecat, ac obstructiones reserat.

Men-

Mentastrum, (vulgo Menta Saluatica) calidum, & siccum dolores præcipue colicos sedat.

Mercurialis Mas. calidus, & siccus Thoracem repurgat, Menses, & secundinas deijcit.

Mercurialis fœmina aluum laxat, sed ventriculo non satis Amica.

Meum calidum, & siccum Lotium, & Menstrua ducit, flatus è stomacho discutit.

Meum Ital. Matth.

Milium indicum, vulgo Sagina, seu Melega, refrigerat, & siccat, Menstrua sistit.

Millefolium flore rubro sanguinis eruptiones compescit.

Millefolium flore carneo, dysentericis medetur, plagas, & fistulas sanat.

Millefolium terrest. fl. purp. siue maius Matth. Bauh.

Molucca aspera Siriaca, seu Melissa constantinopolitana calefacit, & aperit, Veneficis opitulatur ictibus.

Molucca Siriaca altera, eadem promittit.

Morus Arbor, eius fructus maturus ventrem soluit, austerus vero admodū astringit.

Myrrhis, vulgo Myrrhide, calida est secundo ordine in vino epota menstrua & Locchia cit, phthisicis, Phalangiorumque morsibus auxiliatur.

Molle Arbor extit, de cuius Vsu mira narrantur, eum Balsami speciebus adscribit Lob.

N. N.

NAppellus calidus, & ſiccus in quarto venenoſa planta eſt, cui alexifarmaca vi opitulatur Bezaar, & Theriaca.

Napus, vulgo Nauone, calidus, & humidus Morbillos eijcit, vermes enecat, cuius oleum præſtat ad Arquatum.

Naſturtium, vulgo Agretta, calidum eſt eius ſemen, vnde vrinas prouocat, ventrem ſoluit, deoſtruit, anheloſis opitulatur.

Naſturtium indicum floret æſtate.

Nicoſiana, ſeu herba S. Crucis calefacit, & ſiccat abſtergit atque reſoluit, ſcabiem curat Anheloſis medetur.

Nerium, ſeu oleandrum, pleriſque quatrupedibus venenum porrigit, homini autem eſt remedium contra ſerpentum morſus; licet aliquorum ſit opinio hominibus etiam præſtare venenum.

Nerium flore alb. Lob. Bauh.

Nummularia, ſeu Lunaria min. aſtringit conſolidat, hinc alui fluxibus, & ruptis medetur.

O. O.

OEnante, vulgo Filipendula falſa, eius radicem calidam, & ſiccam ac aperientem eſſe manifeſtum eſt, vrinam, & calculos pellere ex Dioſc.

Ori-

Origanum incidit, calefacit, serpentum ictibus medetur, ac est ex condimentis.
Oruala, vulgo Gallitrico, calefacit, & siccat in tertio, capiti nocet, menses, & secundinas prouocat.
Opuntia Ma. vulgo fico d'India, planta est reuera mirabilis.
Opuntia Minor, eduntur ejus fructus, sed rubrum lotium reddunt.
Opuntia asperrima artuum fracturis, & luxationibus peramica.
Opuntia sine spinis omnia præstat, quæ minor.
Ocymum purpureum fol. alsine, vulgo Basilico, calidum, & humidum roborat, gratum est condimentum.
Ocymum Alterum.
Ocymum cum odore, & sapore, siccatum haud vtiliter vna cum Amaraco, & rorismarino in Cibarijs vsurpatur.
Ocymum Magnum nigrum.
Ocymum paruum purpureum tota æstate in aqua seruatur.
Ocymum serpilli flore, & colore, si frequenter seratur semen in sisymbrium Transire docet Theoph.
Ocymum paruum pulchrum.
Ocymum Crispum viride prima Luna tritum inter duo latera repositum Scorpiones generat.
Ocymum nigrum Magnum, ab huius vsu vtpote noxio plerique repudiarunt inter quos Plinius.
Ocymum crispum cum macula purpurea.
Ocymum Mali punici fol.

Ocymum flore oblongiore, valet ad Viperarum morſus.

Oxalis, vulgo Acetoſa, refrigerat, ſitim extinguit; febribuſque medetur.

P. P.

PAlma hæmorhoidum oſcula conſtringit, ac alui fluxum compeſcit.

Palma Syluestris frigida & humida, deſtillata ſitim, vomitum, ac capitis dolorem ſedat, ac bile decoloratos iuuat.

Papauer corniculatum, calidum, & ſiccum vlceribus fœdis confert, & aluum laxat, magna tamen cautione eo vtendum eſt.

Partenium, vulgo Matricaria, calefacit, ſiccat, aperit, atque reſoluit, vtero Amica; vnde Matri-cata.

Paſtinaca domeſtica, calida, & humida vteri & ventis dolores mitigat, ſtomacho, hepati atque lieni familiaris.

Paſtinaca Syluestris calida, & ſicca familiari potentior; vnde lotium, & menſtrua cit, Torpentem venerem ſtimulat.

Peloſella, exiccat, abſtergit, dyſſentericis, atque lientericis opitulatur.

Pentaphylon, ſeu quinque folium, exiccat ictericitiam, & epilepſiam curat.

Pentaphylum album aſtringit, ſiccat, & roborat.

Pæonia fœm. calida, eius radix multum præſtat ad capitis affectus.

Pepus, officinis eſula rotunda, euacuat bilem,

bilem, & pituitam, eius ſemen viſcera tamen perturbat.

Perſicaria, ſeu Hydropiper caleſacit, ſcirroſis tumoribus opitulatur.

Perſicaria lutea, ſeu aruenſis. Bauh.

Perſicaria mitis non maculoſa, Bauh.

Perſicaria vrens, ſeu Hydropiper Bauh.

Perfoliata calida, & ſicca, ſtrumoſis, & ruptis medetur.

Perſonata, ſeu Bardana, exiccat, Viperarum profligat venena, iuuat quoque contra reliquos ſerpentes, ac venerem coercet.

Periclymenum, ſeu Mater ſiluæ calidum lotium, & ſecundinas ducit, partum facilitat, ſplenem minuit.

Petroſellinum Macedonicum caleſacit, & ſiccat, incidit, & roborat.

Peucedanum calidum, & ſiccum, ſudorem prouocat, aluum lubricat, & epilepſiam curat.

Phaſeolus Africanus, ſemper vireſcit, floreſcit æſtate.

Phaſeolus Indic. flore miniato Bauh.

Phaſeolus Turcicus, ſeu peregrinus fructu nigro, & albo.

Phillyrea aſtringit, attrita ad oris vlcera prodeſt, eius decoctum lotium, ac Menſtrua ducit ex Dioſc.

Phyllitis ſeu lingua ceruina, falſo ſcolopendria, calefacit, & ſiccat modice, aluum; & hæmorrhagias ſiſtit.

Plantago roſea, vulgo centinerbia, refrigerat, atque repellit, dolores ſedat, & inflammationes emulcet.

Plantago Aquatica, vulgo herba Siluana, frigida, & ſicca, eadem promittit.

Poda-

Podagraria educit ſeroſos, ac pituitoſos humores, vnde Podagricos, & Chiragricos iminuit dolores.

Polygola vbera lacte inebriat.

Poliganum Ma. vulgo cento nodi, ſeu corregiola, frigidum, & ſiccum ſanguinem ſpuentibus, & Serpentum morſibus opitubatur.

Polygonum Minus, vrinas ſimul, & calculos eijcit.

Polium calidum, & ſiccum, emortuum fœtum vna cum ſecundina expellit.

Poligonatum, ſeu Fraſſinella calidum, digerit attenuat, Menſtrua, vrinam, partum, ac ſecundinas faciliter eijcit.

Potentilla modice calida, ſicca autem in tertio, cunctos alui fluxus, ac menſes vtroſque compeſcit, item dyſſentericis ruptis ac vlceroſis opitulatur.

Prunella calefacit, & ſiccat, vulnera aglutinat.

Pſyllium frigidum, & ſiccum hydropicis, ac luxatis medetur ſacroque igni opem fert.

Pulegium calefacit, & ſiccat, roborat, Menſtrua, & vrinas cit, cephalicas poſſidet qualitates.

Pulmonaria exiccat, abſtergit, conſolidat, ad pulmonis vitia multum præſtare dicitur.

Phu Minus, ſeu Valeriana Minor calefacit, & ſiccat venenoſis ictibus opitulatur.

Phu Ma. ſeu Valeriana Ma. calida, & ſicca, Menſtrua, & vrinam ducit, laterum, & pectoris dolores emulcet.

R. R.

RIbes refrigerat, sitim extinguit, ac alui fluxibus confert.

Ricinus, vulgo Cataputia Mag, seu girasole, calidus, & siccus, bilem, & aquam per aluum euacuat, stomacho tamen satis inimicus.

Rubia Satiua calida, & sicca, radices extrahuntur Maio, & Iunio, quæ exiccatæ in Medicinæ, & Tinctorum vsus reponuntur.

Rubia Syluestris menses, & secundas prouocat ad exitum.

Rubus alpinus humilis sine spinis, oris vlcera sanat contrita folia.

Rumex seu Lapathum acutum, discutit abstergit, demulcetque cruciatus.

Ruscus, vulgo Mirto saluatico, seu pungi Topi, calefacit, & siccat, aperit, vrinam, calculos, & Menstrua ducit.

Ruta calida, & sicca oculorum suffusionem, & caligines discutit, abortum parit, dolores tamen flatulentos compescit.

S. S.

SAbina calida, & sicca in tertio fœtus enecat, hosque peremptos profundit.

Sabina sterilis, vulgo Sauina, calefacit, abstergit, digerit, resoluit, exiccat, atque aperit.

Saluia rubia calida, & ſicca ad multa vtilis hinc quæritur.

Cur moriatur homo, cui Saluia creſcit in horto.

Satureia, vulgo coniella, calefacit, ſiccat, & aperit, ventriculum roborat, vermes enecat, ac venerem ſtimulat.

Saxifragia, calida, & ſicca aperit, hinc calculos è renibus educit.

Scabioſa Ma. calefacit, abſtergit, cutem, & pectus mundat, valet itidem contra cancros, & morſus veneficos.

ScabioſaMi. exiccat, & pulmones abſtergit.

Scabioſa odorata ſuauiſſimum odorem vndique eſſundit.

Sclarea Ma. diſcutit, attenuat, excalefacit, atque reſoluit.

Sclarea Min. vulgo herba di S. Gio. ſtomachum roborat; eius ſemen viſum ſummopere acuit.

Scordium, ſeu Trixago paluſtris, calefacit, vrinam prouocat, atq; eleganti ſucceſſu vtimur in febribus, omnibuſq; peſtilentialibus affectibus.

Scrofularia, ſeu mille morbia, vel ferraria ſtrumas à proprietate curat.

Securidaca, officinis pelecinum, vermes enecat, vtilis valde eſt ſtomacho, cit menſtrua, ac pectus mundificat.

Semper viuum maius, ſeu ſedum maius, calidis artuum doloribus vtiliter imponitur, ac oculos abſtergit.

Semper viuum min. ſeu ſedum min. promittit quæ primum.

Senecio, vulgo cardoncello, calefacit, exiccat, & aperit, vrinam, & menſtrua cit.

Ser-

Serpillum calidum, & ſiccum aperit, conuulſis, atque atris morſibus opitulatur.

Sideritis mediocriter frigida, & humida, vulnera ab inflammationibus liberat, atque conſolidat.

Silique, vulgo guainelle, refrigerant, vrinam prouocant, à cæna vtiliter vſurpantur.

Siſer calefacit, & aperit, appetitum excitat.

Siler montanum. Lob.

Smilax hortenſis, vulgo fagiuolo turcheſcho, calidus, & humidus, difficilis coctionis, ac prauum progignis ſuccum.

Smilax aſpera, vulgo rouo ceruino, cunctis venenis aduerſatur, ac minori actiuitate ea promittit, quæ Sarſaparilla.

Smilax læuis, vulgo Villuccio Mag. reliquis inactiuior.

Simphitum maius, ſeu conſolida ma. calefacit, & ſiccat vulnera ad cicatricem perducit.

Smirnio, vulgo Macerone, calefacit, & ſiccat, lienis, ſtomachi, renum, & vteri vitijs medetur.

Solanum hortenſe, vulgo herba morella, refrigerat, & aſtringit, ardores, & inflammationes repellit, ac mitigat.

Solanum maius, vulgo herba bella donna, frigidum, & ſiccum, vnde inflammationibus auxiliatur.

Solanum ſomniferum frigidum, & ſiccum, ſomnum inducit, dentumque dolores compeſcit.

Solanum Halicacabus ma. ſeu veſsicaria ma. officinis Alchachengi, refrigerat, aperit,

rit, vnde vrinam prouocat, regium morbum propellit.

Halicacabus repens, seu vessicaria secunda, vulgo vilucchio forastieri, affectus cunctos cordis depopulatur, vnde dicitur cor indicum.

Sorbus, eius baccæ adstringunt, siccant, & repellunt, ac hyeme ad aucupia asseruantur. Matth.

Spondilium calidum, lethargicos excitat, ac pituitam euacuat.

Stachys calefacit, menses, & secundinas educit.

Staphisagria, seu herba pedicularis, calida & sicca in quarto; fauces inflammat, scabiem leuat, & pediculos occidit.

Staphylodendron ex nuculis orbiculos præcarios conficiunt pauperes.

Stæchas citrina, vulgo amaranto giallo, calefacit, & siccat, atque aperit, est ex cephalicis, hæpar roborat, vnde hydropisiæ primitijs medetur.

Stramonium album, seu nux metella, poma spinosa, frigidum in quarto somnum prouocat, & mulcet dolores.

Stramonium cæruleum indicum, eisdem pollet dotibus, quibus allatum.

Stratiotes, seu mille folium astringit hinc vulnera iungit, ac vlcera consolidat.

Styrax calefacit, & siccat, somnum conciliat, pectori medetur, menses prouocat, & aluum laxat.

Succisa, seu morsus diaboli, calefacit, & siccat, vteri cruciatus emulcet, cancris mira qualitate medetur.

Sy-

Syringa fol. albo, seu Philadelphus Athenæi. Bauh.

Syringa cærulea Bauh. seu Lusitanica. Lob.

T. T.

TAmarix, seu myrica abstergit, mundificat, acsimul astringit, phalangiorum morsibus auxiliatur.

Tanacetum, seu Athanasia, calefacit, & siccat, discutit, flatus, calculos, vrinam, & menstrua ducit.

Tanacetum Crispum tineas necat, & obstructiones reserat.

Tanacetum Crispum Anglicum. Lob.

Tanacetum inodorum. Dod.

Taxus Matth. Smilax arbor Diosc.

Taxus, vulgo Smilace, lethalis est arbor, quin vna & eius vmbra nocet.

Telephium, seu fabaria, abstergit, siccat, & calefacit, vlceribus & fistulis medetur.

Terebinthus calefacit, & abstergit, eius gumma digerit, vrinam, & lapillos eijcit, vlcera, ac vulnera omnia incarnat.

Teucrium exiccat, & calefacit, lienem imminuit.

Thalictrum, vulgo verde-marco, exiccat, antiqua vlcera consolidat.

Theucrium Boeticum Clus.

Thymelea immodicè calefacit, & siccat, ad capitis vlcera præstat; semen bilem & pi-

pituitam euacuat, stomachum tamen ledit.

Thymus calefacit, & siccat, incidit, lotium, menses, secundasque educit, oculis confert, sed præcipuus vsus est in condimentis.

Tithymalus esula similis calidus, & siccus in quarto, purgat aquam, pisces perimit, valet ad gangrenas, & cancros.

Tithymalus Helioscopus, talem nomenclaturam obtinuit, quoniam capita cum sole circumagit.

Tithymalus platyphillos fuschij, seu pitiusa, aliter esula maior, veris eius folia sanguineis guttis aspersa conspiciuntur.

Tithymalus Dendroides exulceratiuam possidet vim.

Tithymalus Amigdaloides, siue caracias.

Tithymalus Myrsinites, eo quod Mirtinis folijs assimilatur.

Tithymalus paralius.

Tithymalus aphyllos causticus, Aethiopes hac planta in puluerẽ redacta, vtuntur in condimentis, sicut nos Pipere Dom. Cab.

Tormentilla contra pestem, & venena præbetur.

Tussillago, vulgo farfara, seu vnghia di cauallo, præfocationes vterinas comminuit, sed efficacius pulmonum vitijs auxiliatur.

Tribolus terrestris refrigerat, astringit, aduersus venena, & ictus atros exhibetur.

Trichomanes, officinis politricon, sapore mixto, subdulci, & subamaro, calculos imminuit.

Trifolium bituminosum calidum, & siccum calculos eijcit, epilepsiam curat.

Trifolium acetosum, vulgo pancuculo, re-

refrigerat, & ea quæ oxalijs elargitur.

Trinitas, ſeu Trifolium hepaticum, faucium ſedat inflammationes.

V. V.

VErbaſcum maſ. (vulgo Taſſo barbaſſo aſtringit, & ſiccat, opem fert ſcorpionum morſibus, diarrhæas, & hæmorrhagias ſiſtit:

Verbaſcum fæmina, valet ad cuncta, ad quæ maſ.

Verbaſcum saluiſolium, eo quod ſaluiæ folia æmulatur.

Verbaſcum ſaluiæ fol. fruticans, ſeu Syl. ſaluiæ fol. lanciniat. Lob.

Verbenaca, ſeu berbena, calida, & ſicca, Pthiſicis, dyſſentericis, hydropicis, ictericiſque opem fert.

Verbena vrticæ folia podagricos dolores imminuit.

Veronica maſ. calefacit, & ſiccat, aperit tum iecur, tum lienem, ac ad pulmonis affectus multum præſtare ſolet.

Veronica ſpicata recta abſtergit, mirificè cruenta vulnera, & antiquata vlcera ſanare ſcribit. Fuch.

Veronica fœmina.

Vincetoſſicum, vulgo Aſclepiade, calida & ſicca, nominis ſequitur ætymologiam, venena omnia propellendo.

Viola marina frigida, & ſicca, radix eius decocta menſtrua compeſcit.

Vio-

Viola matronalis fl. variegato, an Hespe-
ris Pannonic. Cam.

Viola matronalis, seu Ligustrium, vtero valde est affinis.

Vmbellicus veneris frigidus, & humidus vrinam, & calculos cit, inflammata sedat, ac hæmorrhoides sanat.

Vipera itàlica, seu scorzonera italica, vulgo castra cane, equali vi pollet ad contagiosos, & pestilentiales affectus, ac scordium.

Vitis alba, seu brionia, calida, & sicca epilepsiam, vertiginem, & stomachi debilitatem curat, valet vna ad vteri affectus.

Vitis nigra, vulgo Tamaro, debilius operatur, quæ alba.

Vlmaria, vel regina prati Lutetiæ commendant aduersus pestem; flores gratum vino odorem conciliant, itaut maluaticum æmulatur. Dom. Cab.

Vua spina refrigerat, siccat, & abstergit hinc dyssentericis, & ventriculi ardori medetur.

Vuluaria, vulgo atriplice fetido, seu canino, aduersus hæmorrhoidum cruciatus valet vsus, eius tamen odor caput offendit.

X. X.

XAntium, seu Lappa min. aliter Strumaria, tumores imminuit, ac flauos pingit capillos.

Xiris, vulgo ſpatula fetida, calefacit, & ſiccat, ſtrumis, vulneribus, podagricisq; opitulatur.

Z. Z.

ZIzipha, vulgo giugiole, calida, ventriculi, pulmonis, renum, ac veſſicæ affectibus auxiliatur.

Pleraque Simplicia etſi Autumnali tempeſtate virentia intueantur, quia tamen ſatis vulgaria ſunt, & pertrita, elegantiorum Stirpium Catalogo haud adſcripſimus.

FINIS.